

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Compassio q
cum fontibus proximo et primo

Longitudine temporis temptatio augetur.

Per triduum enim crescentibus curis paterna
uiscera cruciantur, et prolixo spacio
pater filium intuetur, cibum cum eo sumit,
tot noctibus pendet puer in amplexu patris,

cubat in gremio et per singula momenta
in paterno affectu dolor occidendi filii cumulatur.

Alcuinus de ymolatione Abrahe.

Tolle filium tuum et cetera. Alcuinus.
Non statim iussus est abraam filium occidere:
sed triduo ad immolandum ducere: vt
longitudine temporis tentatio augetur.

per triduum enim crescentibus curis paterna
viscera cruciantur. et prolixo spacio.
pater filium intuetur cibum cum eo sumit.
tot noctibus pendet puer in amplexu patris.

cubat in gremio. et per singula momenta
in paterno affectu dolor occidendi filii incumulatur.

Glossa ordinaria, liber Genesim, 22 (Biblia Latina cum
glossa ordinaria, A. Rusch ed., Strassburg, 1480).

Quatenus
longitudine temporis, tentationis quoque augetur
incrementum. Nam per triduum iter protenditur, et
per totum triduum crescentibus curis paterna
viscera cruciantur: ut omni hoc spatio tam prolixo
intueretur filium pater, cibum cum eo sumeret,
ut [tot] noctibus puer penderet in amplexibus patris,
inhaereret pectori,
cubitaret in gremio; quatenus per singula momenta
in paterno affectu dolor occidendi filii accumularetur.

Alcuinus Eboracensis, *Interrogationes et responsiones in
Genesim*, 204 (PL 100, col.545A-B).